



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. III. De Dispensatione surreptitia, & nulla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

## ARTICULUS III.

## De Dispensatione surreptitia, &amp; nulla.

- I. Rescripta gratia per surreptionem obtenta sunt ipso jure irrita; secus vero Rescripta iustitiae.
- II. Quanam falsi expressio, aut veritatis taciturnitas reddat dispensationem surreptitiam?
- III. In dubio, num dispensatio sit surreptitia, probabilius dicendum, esse nullam.
- IV. Num dispensatio sit surreptitia, si duplex causa exponatur, quarum altera est falsa?
- V. An possint duo impedimenta in diversis petitionibus separatim exprimi?
- VI. Si impedimentum oriatur ex duplici titulo, probabilius uterque exprimi debet; ut si quis duas Berta sorores cognovisset.
- VII. Quando petitur dispensatio super gradibus consanguinitatis, satis est, quod gradus remotior exprimat, dummodo gradus propinquior non sit primus.
- VIII. Num debeat exprimi incestus, si praecesserit, quando petitur dispensatio in impedimento cognationis?
- IX. Potestas dispensandi cum personis incertis non expirat morte concedentis; secus vero si detur facultas dispensandi cum aliquo particulari: Facultas vero data alicui, ut dispensetur, vel absolvaatur, neque expirat morte concedentis.
- X. Facultas data ad beneplacitum concedentis expirat per huius mortem, aut amotionem ab officio, si data sit alicui particulari; secus vero si sit data Communitati.

I. **D**ispensatio, & quaelibet facultas dicitur esse surreptitia, seu nulla, si concedatur ex mero errore, sive ob falsitatem a petente expressam, sive ob veritatem celatam.

Notandum tamen, Concessionem, seu Rescripta Pontificis, aliorumque Principum, alia esse iustitiae (quae scilicet diriguntur ad lites, & similes causas ex iustitia terminandas) alia vero esse Gratiae (quibus scilicet beneficia Ecclesiae, dispensationes, & similes gratiae conceduntur) Concessionem, seu Rescripta Gratiae per surreptionem obtenta, ipso jure sunt irrita, & nulla: Rescripta vero iustitiae per surreptionem obtenta non sunt ipso jure irrita, nisi per exceptionem elidantur. Disparitas ex Con. hic est; tum quia per Rescripta iustitiae non statim terminantur causa, sicut per Rescripta Gratiae; sed solum iis terminandis aut Judex, aut modus imponitur; unde datur locus detegendo errori; tum etiam quia contra Rescripta iustitiae solet semper pars invigilare.

Notandum ulterius, causam, ob quam aliquid conceditur, vel esse finalem, seu motivam, vel impulsivam. Causa finalis dicitur illa, sine qua nullo modo, aut non nisi cum quibusdam conditionibus, & limitationibus rescriptum concederetur. Impulsiva vero dicitur illa, ob quam facilius conceditur rescriptum; quod tamen adhuc sine illa secundum rectam rationem, & merita causae concederetur.

II. Quæritur nunc primo; Quanam taciturnitas veritatis, aut expressio falsi reddat dispensationem surreptitiam, & nullam?

Respondeo, dispensationem esse surreptitiam, si taceatur aliquod verum, quod jus jubet exprimi; etiam si pertineat ad causam impulsivam; necnon si taceatur verum pertinens ad causam

nam finalem; non vero si pertineat ad causam impulsivam: Eodem modo expressio falsi reddit dispensationem irritam, si exprimat falsum pertinens ad causam motivam, seu finalem Concessionis. Ita communiter.

Probatur prima pars; quia quoties jus jubet aliquid exprimi, illud exigit tanquam formam præscriptam, qua deficiente, totus actus, & consequenter ipsa dispensatio corrumpitur. Hinc in cap. *Si motu proprio*, 23., de præbendis in 6. deciditur, ex quantumvis modici beneficii taciturnitate reddi alterius beneficii impetrationem surreptitiam.

Secunda pars patet; quia Concessio dispensationis fit dependenter ab existentia motivi, quod exprimitur; ergo deficiente causa motiva, seu finali, actus est omnino involuntarius; & sic dispensatio est nulla.

Tertia pars etiam patet; quia quando error est tantum circa causam impulsivam, & non circa finalem, habetur totum id, quod requiritur ad concedendam dispensationem; ergo dispensatio non est nulla. Hinc docent communiter Doctores, pauperem improbum obtinentem elemosynam ab eo, qui cognita improbitate, illam non dedisset, non dici eam per errorem obtinuisse; unde non tenetur ad restitutionem; quia vere est pauper, & ad sublevandam inopiam, tamquam propter causam finalem, motus est largiens elemosynam, esto ejus probitas fuerit causa impulsiva.

III. Si tamen dubium sit, Num verum, quod tacetur, aut falsum, quod exprimitur, pertineat ad causam motivam? arbitrio prudentis, & docti viri id decidendum, quando neque ex jure constat, neque ex stylo Curie, quod etiam facit jus. Quod si probabiliter decerni nequeat, & res adhuc maneat sub dubio, Sanch. disp. 21. num. 2. docet, dispensationem pu-

tandam validam; quia valori actus jura maxime favent, & in dubio eum rationabiliter præsumunt. Sed Perez disp. 46. sect. 1. cum Hurt., Molin.; Con. probabiliter docet, dispensationem esse nullam; quia impedimentum est certum, & dispensatio dubia; in dubio autem melior est conditio possidentis.

IV. Si demum taciturnitas veri, aut expressio falsi sit tantum circa partem petitionis, dicendum, quod si gratia concessa est divisibilis, sit irrita solum secundum eam partem, secundum quam expressum est falsum; si vero est indivisibilis, sit totaliter nulla. Quare si Titius, verbi gratia, petat dispensationem in voto castitatis ob duplicem causam, & quia patitur gravissimas tentationes, & ut possit ducere consanguineam, quæ aliter non reperiret dignum se maritum; si prima causa sit vera, & sufficiens, non vero secunda, tunc obtenta dispensatione, poterit ducere uxorem, si bona fide processit, non vero illam consanguineam: Si tamen mala fide id fecerit, neutrum poterit; idque in pœnam malitiæ, ex cap. *Super literis*, 20., de Rescriptis; quamvis ad hanc pœnam subeundam requiratur sententia judicis, ut notat Con. hic.

V. Quaritur secundo; Utrum quando habentur duo impedimenta, debeat simul in eadem petitione exprimi utrumque, an possint separatim exprimi in diversis petitionibus?

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 5., Navar., & Sà putare, quod possint seorsim exprimi; tum quia hic est stylus Curie, qui facit jus; tum etiam, quia sicut potest impetrari absolutio ab una excommunicatione, vel irregularitate, non facta mentione de aliis; & sicut potest obtineri dispensatio in uno impedimento, non in alio; ita potest pariter peti dispensatio in uno impedimento, non in alio.

Ne-

Neque opponas : In *cap. 2.*, de *fi-  
liis Presbyterorum in 6.* dicitur, quod  
dispensatus ad Ordines, & ad Bene-  
ficia Curatum, si postea petat dis-  
pensationem ad plura Beneficia, de-  
beat facere mentionem defectus nata-  
lium; aliter dispensatio est invalida;  
quia non est verisimile talem dispen-  
sationem a Pontifice concedi. Nam  
contra est primo, quia in tali casu  
non dicitur, quod fiat mentio dispen-  
sationis obtentæ, sed defectus natalium.  
Contra secundo, quia hoc in tali ca-  
su est verum ex jure positivo.

Verum Sanch. disp. 23. cum aliis  
probabilius putat, debere simul impe-  
dimenta exponi; quia impedimenta  
simul juncta reddunt personam minus  
dignam dispensatione, etiam in singu-  
lis; Certe enim sæpe dantur duæ, vel  
plures dispensationes in duobus, vel  
pluribus impedimentis seorsim, quæ  
non darentur, si duo, vel plura illa  
impedimenta essent simul: Sicuti re-  
mittuntur sæpe plura delicta in diver-  
sis, non tamen si eadem reperiantur  
in uno.

Excipe tamen, nisi deberet propa-  
lari peccatum; ut si quis vellet ducere  
in uxorem cognatam suam, cujus  
antea sororem cognovisset, non tene-  
tur propalare suum incestum. Excipit  
etiam Con., & Perez, si duo impe-  
dimenta simul juncta non pariunt ma-  
jorem indecentiam; ut si habens vo-  
tum castitatis vellet suam cognatam  
ducere, potest prius dispensationem  
obtinere in voto, deinde in impedi-  
mento affinitatis, vel consanguinitatis;  
etenim habita dispensatione in voto,  
non est major indecentia voventem  
ducere suam cognatam, quam si nun-  
quam vovisset.

VI. Quæritur tertio; An habens a-  
liquod impedimentum ex duplici ti-  
tulo, debeat id exprimere, ut valida  
sit dispensatio? Verbi gratia, si quis  
haberet impedimentum affinitatis ex

duplici titulo, nimirum ex eo, quod  
cognovisset duas sorores ejusdem Ber-  
tæ, quam vult ducere in uxorem; vel  
si quis ex utroque latere sit consan-  
guineus cum Berta; vel si duplicem  
cognitionem spiritualemente contraxisset,  
eo quod duos Bertæ filios ex Sacro  
fonte levavit.

Respondeo, Henr. lib. 12. cap. 20.,  
Rodriq. tom. 1. Summa cap. 238., &  
alios negare; quia sicut qui pluries  
cum excommunicatione celebravit,  
non tenetur id exprimere in impetra-  
tione dispensationis ab Irregularitate;  
cum satis sit, si exponat se in Irre-  
gularitatem incidisse ob violationem  
Censuræ per exercitium Ordinis Sa-  
cri; Nec habens multiplicem copulam  
cum eadem sorore Bertæ in uxorem  
ducendæ, tenetur id exprimere ad ob-  
tinendam dispensationem in impedi-  
mento affinitatis orto ex copula il-  
licita: ita pariter si duas sorores eju-  
dem Bertæ cognovisset, neque tene-  
tur id exprimere ad obtinendam dis-  
pensationem in impedimento affinita-  
tis: Quamvis enim non possit dice-  
re, quod unam Bertæ sororem cogno-  
verit, quia sic mertiretur; posset tamen  
exponere, quod habeat impedi-  
mentum affinitatis ortum ex copula  
illicita. Et ratio a priori est, quia  
vinculum ex hoc, quod oriatur ex  
multiplici titulo, est solum extensive,  
non intensive gravius.

Verum Sanch. disp. 24., Pont.,  
Hurt., Perez disp. 46. sect. 5. proba-  
biliter docent, ad valorem dispen-  
sationis requiri, quod exprimat impedi-  
mentum ortum esse ex duplici ti-  
tulo; quia tale impedimentum est in-  
tensive, non vero extensive tantum  
gravius. Verum quidem est, quod si  
quis pluries rem habet cum eadem  
sorore Bertæ, affinitas, quæ contra-  
hitur, sit solum extensive major, quam  
si semel rem habuisset; quia tunc so-  
lum datur multiplex commixtio co-  
runt.

rundem feminum, ex qua oritur affinitas: Contra vero, si quis cognoscat duas sorores Bertæ, tunc habetur multiplex commixtio feminum diversorum, atque adeo multiplex affinitas diversa; & idcirco impedimentum dicitur esse gravius intensive. Unde qui rem habuit cum diversis sororibus Bertæ, debet id exprimere, non vero qui pluries rem habuit cum eadem sorore Bertæ; sicuti nec qui pluries idem votum emisit, aut qui pluries cum censura celebravit.

VII. Quæritur quarto; An in inpertratione dispensationis super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi matrimonium inæqualiter distant a stipite, debeat explicari gradus propinquior, an remotior, an uterque? Verbi gratia, si Patruus velit ducere suam nepotem, satis ne exponit impedimentum consanguinitatis, dicendo illam esse sibi cognatam, seu consanguineam in secundo gradu?

Respondeo, universim satis esse, si explicetur gradus remotior, unde in casu adducto secundum se satis esset exprimere consanguinitatem in secundo gradu, quia Patruus, & Nepos in secundo gradu conjunguntur. Quamvis autem hoc sit universim verum, tamen de facto in reliquis tantum gradibus licitum est illos sic exponere, non vero in casu adducto; quia ex motu proprio Pii V. ad valorem dispensationis exprimi debet, si alter distet a stipite in primo gradu. Unde sequitur, quod si alter distet in secundo gradu, alter in tertio, satis sit explicare tertium; si vero alter distet in primo gradu, alter in secundo, ut Patruus, & Nepos, non satis sit exponere conjunctionem in secundo gradu, sed debeat primus gradus Patruus explicari.

VIII. Quæritur quinto; An, si quis post copulam habitam cum consan-

guinea impetret dispensationem ad contrahendum cum illa matrimonium, nulla facta mentione in petitione dispensationis copulæ habitæ, valida sit dispensatio?

Respondeo, Sanch. disp. 25. cum aliis negare. Primo, quia stylus Curie fert, ut in petitione dispensationis exprimat incestus, ut sic timore manifestationis arceantur homines a copula incestuosa. Secundo, quia copula illa expressa efficit, ut dispensatio concedatur cum quibusdam limitationibus, nimirum addita pœnitentia, & majori compensatione pecuniæ.

Sed Pont., Rodriq., Henr., & alii apud Perez probabiliter docent, dispensationem in casu adducto esse validam, quia neque incestus indiget dispensatione; neque jure aliquo præcipitur, ut exprimat; Et præterea si exprimat incestus, redditur dispensatio facilior, non difficilior.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, falsum esse, quod ex stylo Curie incestus exprimat: Quamvis enim multi sequentes primam sententiam illum exprimat; multi tamen sequentes secundam sententiam non exprimunt. Adde, stylum Curie (ut ait Rodriq. ex multis Jurisperitis) non obligare extra Curiam, nisi confirmetur decreto aliquo Papæ, quod hic non habetur.

Ad secundam rationem respondetur, quod injunctio pœnitentiæ, & majoris compensationis pecuniæ propter copulam expressam, non solum fiat in pœnam copulæ, sed etiam ut facilius impetretur dispensatio; ergo expressio copulæ non retrahit, sed potius promovet dispensationem; unde si reticeatur, non est invalida dispensatio.

Adverte tamen cum Perez, quod si in dispensatione a Papa obtenta addatur clausula illa (dummodo non inter-

tervenerit copula) si talis dispensatio sit pro foro interno, & copula intervenerit, dispensatio est irrita, cum sit conditionalis, & conditio non sit purificata; Si vero sit pro foro externo, & copula intervenerit quidem, sed non constet in foro externo, dispensatio est valida; cum vere pro foro externo, & judiciali copula non intervenerit.

IX. Queritur ultimo; An commisiones dispensandi in impedimentis matrimonii expirent morte concedentis, re integra?

Respondeo, communiter Doctores docere, quod non expiret potestas dispensandi cum personis incertis; secus vero potestas dispensandi cum Persona certa. Ratio est, quia in primo casu potestas datur in favorem dispensantis, & ideo relate ad illum gratia jam est facta; unde morte concedentis non expirat: Contra vero in secundo casu potestas datur in favorem ejus, cum quo dispensandum est, & ideo gratia non est facta, sed facienda. Unde morte concedentis expirat, re integra, ex cap. *Si cui*, de *Præbendis* in 6.

Notat vero hic Suar. lib. 8. de legibus cap. 31., quod si Titio directe concedatur facultas, ut possit in impedimento aliquo dispensari ab Episcopo, morte concedentis facultas hæc non expirat, quia est gratia facta; (& idem dicas, si subito concedatur licentia eligendi sibi confessorium) Contra vero si concedatur directe Episcopo facultas, ut possit dispensare cum Titio in impedimentis matrimonii, morte concedentis talis facultas expirat; quia est gratia facienda. Quod attinet ad reliquas licentias, & privilegia data ad actus, qui non pendunt ex actione alicujus Tertii circa privilegiatum, ut sunt licentiæ non jejunandi, laborandi die festo, celebrandi in Oratorio privato, audiendi Sa-

crum tempore Interdicti, dicendum, nunquam expirare morte concedentis, ut communiter docent ex præi Ecclesiæ.

Notandum præterea, probabilem esse sententiam Pontii, & aliorum apud Perez disp. 47. sect. 5. docentium, ad quamcumque licentiam, vel rescriptum, sive dependeat ab actione Tertii, sive non, censeri gratiam statim factam ex vi privilegii ante quamcumque ejus usum, si sit gratia spiritualis; Immo & in quacumque materia, nisi jure sit prohibita, vel excepta: In duplici autem casu excipitur. Primo, in materia ambitiosa, qualis est beneficalis; nam in dicto cap. *Si cui* deciditur, facultatem concessam conferendi beneficia personis certis, & expressis expirare morte concedentis; non vero si sit licentia conferendi beneficia personis incertis. Et ratio est, quia in eo casu est gratia facienda, in hoc vero est gratia facta. Secundo, in materia fori contentiosi, ex cap. *Gratum*, de *Officio delegati*. Unde sit, non expirare morte concedentis licentiam concessam dispensandi in voto, vel in impedimentis matrimonii, vel audiendi confessiones, &c., sive relate ad determinatam personam, sive relate ad personas incertas concedatur; quia hujusmodi licentiæ non pertinent ad materiam ambitiosam, seu beneficalem, nec ad materiam fori contentiosi.

X. Notandum demum cum Perez sect. 7., quod gratia concessa ad beneplacitum concedentis morte concedentis expiret: Ratio est, quia cum mortuus non possit habere amplius beneplacitum, talis gratia per ejus mortem extinguitur; Et idem dicas, si ab officio amoveatur, qui concessit licentiam ad suum beneplacitum. Quare si detur alicui determinato Confessorio

licentia audiendi confessiones ad beneplacitum concedentis, vel quamdiu ei placuerit, talis licentia expirat, siue concedens moriatur, siue ab officio amoveatur: Verum si omnibus indiscriminatim Regularibus ea licentia detur sub tali conditione, tunc ne appareat irrationabilis, & injusta, non est ita interpretanda, ut significet, dari licentiam, quousque ab ipso concedente revocetur; sed dari

licentiam quousque simpliciter a quolibet habente potestatem revocetur; atque adeo morte concedentis non expirat. Nec expirat, si detur licentia sub his terminis: Donec revocetur. Immo nec si dicat concedens: Do licentiam audiendi confessiones, donec illam revocavero; quia, ut expiret, requirit revocationem; atque adeo non satis est mors concedentis.

## Q U Æ S T I O VII.

### De Usu, ac Debito conjugali.

**A**bstinendum esset ab hac questione, quæ plurima fert, a quibus aures pudicæ abhorrent. Verum quia *Omnia Munda Mundis*, ut loquitur Apostolus ad Titum cap. 1.; & quia Confessarii hac in re nosse debent, quæ licita sunt, & discernere inter lepram, & lepram, hoc est inter mortale, & veniale, ut plurima peccata devitent; ideo examinandum Primo, Qua ratione actus matrimonii sit licitus? Secundo, Quando sit debitus? Tertio, agemus de iis, quæ usum matrimonii impediunt. Quarto, de peccatis luxuriæ, quæ inter conjuges committi possunt.

#### ARTICULUS I.

##### Qua ratione actus conjugalis sit licitus?

- I. Ob quem finem exerceri possit actus conjugalis?
  - II. Vacat veniali culpa, illum exercere ad vitandum periculum incontinentiæ.
  - III. Consilium sanum est certis temporibus ab illo abstinere. Et regulariter est veniale post illum accedere ad Eucharistiam.
  - IV. Potest aliquando licitus esse in Ecclesia actus conjugalis; Et tunc Ecclesia non polluitur. At polluitur per effusionem seminis sacrilegam, qua non sit occulta, & fiat in ipso corpore Ecclesie.
- Pars VII.

V. Non tenetur conjux reddere debitum, quando alter est amens, aut ebrius.

VI. Ne ad vitam quidem tuendam licitum est procurare seminis effusionem; quamvis liceat eam non impedire, dum in somnis cæpit.

VII. Motus sensualitatis secundo primi sunt venialia, si proveniant ex causa venialiter mala citra periculum consensus.

VIII. Non resistere positive cogitationibus, & delectationibus impuris num sit mortale?

IX. Qui sine justa causa exercet actiones notabiliter in pollutionem influentes peccat graviter; peccat vero leviter, si raro, & per accidens in illam insuant.

X. Quacumque modicissima delectatio venerea deliberate quaesita, & admissa

X

missa